

Hasce plagulas aequo virorum doctorum iudicio paucis commendatas velim.

Obtinet inter thesauros Musei Britannici manu scriptos insignem locum evangeliarium *Nero D IV* signatum, quod ex viri sancti nomine, in cuius honorem circa finem seculi VII ab Eâdfrido († DCCXXI), ecclesiae Lindisfarneensis episcopo, mira cum arte exaratum est, librum S. Cûthberti († XX. Mart. DCLXXXVII) appellare solent. Sunt, qui eundem librum a locis, ubi una cum reliquiis sancti confessoris per multa secula asservatus est, vel Lindisfarneensem, vel Dunelmensem, vocitent. Sed cum universa nobilissimi huius et pietatis et industriae pristinae monumenti historia memorabilis satis sit nota, propter nomina tantum in margine inferiore paginae primae apposita, haec adnotanda esse mihi videntur.

Oeðilualdus (Æðelwold, † DCCXXX), Eâdfridi in episcopatu successor, codicem inter *κεμήλια* monasterii Lindisfarneensis numeratum imaginibus et literis maiusculis artificiose expictis illustravit, et a Bilfrido anachoreta gemmis, auro et argento circumclusis, extrinsecus ornandum curavit. Circa medium denique seculum XII presbyter quidam Aldrêdus, monasterii Dunelmensis, uti conicere licet, incola, codicem vocabulis anglicis, quae latinis superscripsit, totum interpretatus est. Has evangeliorum glossas, dialectum Northanhymbrorum referentes, in libro separatim edito ita digessi et disposui, ut continuam orationem efficerent et uno, ut aiunt, tenore legi possent, adiectis praeterea praefationibus earumque glossis, quotquot tum in manibus habebam.

Ut vero susceptam a me operam ad certum quendam finem perducerem, in Angliam profectus glossas etiam tunc ineditas e codice ipse descripsi, quas nunc, typis impressas, in paginis 1—17 foras emittere constitui. His adiunxi (in pp 65 et 66) praefationem Eusebii ad Carpianum datam, quae a *Josepho Stevenson*, anno MDCCCLIV, ante glossam evangelii Matthaei Lindisfarneensis, primo edita est.* Quo facto accessus ad glossas huius codicis integras omnibus, quibus talia cordi sunt, nunc patet.

Secundo loco, in pp 17 ad 23, versionem saxonica quaestionum Alcuini in genesin, per orbem christianum mediæ aevi magnopere celebratarum, quam monachus natione Saxo occidentalis circa finem seculi IX fecisse videtur, imprimendam curavi, qualem e codice homiliarum Cottoniano, *Julius E VII* signato, ipse descripsi. Interpres Saxo ex Alcuini opere, quod interrogationes numero CCLXXVIII comprehendit, et LXVIII tantum maxime necessarias, „þâ nýðbehêfestan,“ ut ipse ait, elegit, nec exemplar latinum accurate expressit, sed modo in angustiore formam contraxit, modo additamentis longioribus interpositis ampliavit. Atque, ut clarius eluceret, quae ratio intercederet inter versionem saxonica et scriptum archetypum, huius numeros uncis inclusos singulis quaestionibus anteposui. Ita etiam ii, qui dialecti Anglosaxonum, quae dicitur, minus periti sunt, si exemplar latinum evolverint, omnibus locis interpretationis saxonicae veram sententiam perspicient.

Eodem consilio glossarium adieci, voces non solum explicans eas, quae in interrogationibus Sigwulfi vel Alcuini leguntur, sed eas quoque, quae in libro has proxime excipiente, tractatu, dico, „de temporibus anni“ occurrunt. Quem librum quamquam interpres Saxo ipse dicit e Bedae Venerabilis scripto eandem rem tractante esse desumptum, exemplar tamen latinum eius, quod sciam, exstat nullum. Editio princeps est ea, quam *Thomas Wright*, e codice Cottoniano, *Tiberius B V* signato, impensis societatis cuiusdam eruditiorum, anno MDCCCXLI curavit, addita versione anglica. Ego infra, in pp 23 ad 31, textum imprimendum curavi e codice bibliothecae publicae Cantabrigiensis, cuius lectiones ab ipso cum editione Wrightiana collatas *Beniaminus Thorpe* mecum communicavit. Lectiones autem in imis paginis adiectae codicis sunt Cottoniani *Tiberius B V* denuo collati.

*) Quamquam iam anno MDCCCXXXIV haec praefatio impressa fuit ante collectionem versionum evangeliorum saxonicarum, inceptam illam a *Beniamino Thorpe* et *Johanne M. Kemble*, sed non absolutam, neque unquam in vulgus emissam.

Sequuntur glossae evangelii Marci sermone Northanhymbrico compositae, quales in codice bibliothecae Bodleianae Oxoniensis, nomine Rushworthii claro, exstant, ex apographo *Beniamini Thorpe* nunc primum editae. De affinitate, qua codex Rushworthianus cum Lindisfarneensi coniunctus est, in libro meo supra memorato disserui. Hoc loco ad ea, quae *Wanleius*, in describendo eodem codice, exposuit, hoc unum addiderim (quod *Beniaminus Thorpe* primus animadvertit), verba margini superiori paginae codicis ultimae adscripta rhythmici rarij quoddam genus exhibere, assonantiam, ut ita dicam, implexam, atque ita esse legenda:

hæfe nû bôc awritene · bruca mið willa ·

symle mið sôðum gileôfa · sib is eghwâm leôfost.

Inde patet, ea non cohaerere cum inscriptione, in margine inferiore paginae paenultimae, hunc in modum expressa:

Ʒe mîn bruche gibidde fore owiîn Ʒe Ʒâs bôc

gloesde færmē ȝāem preōste æt hārawuda;

haec enim imperfectum ostendunt rhythmum, vel prorsus nullum. Neque hoc omittendum esse putavi, nomen *Farmanni*, quod Northanhymbricum esse videtur, me semel tantum reperisse in libro vitae Dunelmensi a *Josepho Stevenson* edito p. 45.

Postremo eos, qui, glossario uti volent, admoneo, voces syllabis a dôm hâd scipe desinentes masculini esse generis, in ung et nes (nys) exeuntes feminini, atque vocabula cum syllabis praeifixis et particulis â æt be for fore ge in mid of ofer on or tô uf (ufe) un under up ût ûſ þurh composita in simplicibus esse quaerenda.